בגה

18

DISPUTATIO PHYSICA

De

MONSTRO,

Quam

Divinâ adſpirante Gratiâ

In Florentisſimâ VVittebergenſi Academia,

PRÆSIDE

VIRO

Plurimùm Reverendo, Præclarisſimo Excellentisſimoq;

DN. CONSTANTINO Ziegra/

SS. Theol. D. Phyſices Profesſore Publico longè dignisſimo, atqve Amplisſimæ Facultatis Philoſophicæ h. t. DECANO Spectatisſimo,

DN. Patrono, Præceptore ac Promotore maximoperè devenerando,

placidæ συμφιλοσοφούντων disqviſitioni publicè ſubjicit

JOHANNES STRICERIUS,

Neoſtadio-Holſatus.

Ad diem I. Mart. Horis Matutinis

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,

Excudebat JOH. RöHNERUS, Acad. Typogr. 1665.

בתנוא :

Introductio.

NOn adſpiciendus ſaltem, ſed ſpectandus eſt in Phyſica totus mundus, inq; hoc non tantùm qvæ juxta communem naturæ curſum ſed etiam qvæ præter illum fiunt, non tantùm Naturæ ἔργα, ſed & ejusdem πάρεργα, qvò Monſtra qvoq; pertinent, indaganda. De his enim phyſica æqvè ſolicita ſit, ac de pulcherrimis & perfectisſimis corporibus, licet non uno eodemq; id agat modo, hoc enim directè, illudverò indirectè præſtat, hoc per ſe, illud per accidens, cum per accidens ſaltem monſtra in mundo reperiantur. Unde *Weinrichius Comment. de Ortu Monſtrorum p.3.* De ortu Monſtrorum, *inqvit*, & qvibus ex principiis naturæ iſta opera adulterentur, primum qvidem ad Phyſicorum diſciplinam attinet, qværere, qvi cum naturas viventium eorumq; affectiones ſecundum naturam explicant; etiam qvid iisdem accidere præter naturam posſit, nobis tradidêre (Nam qvod probum eſt, pravum etiam reperiri poteſt in naturâ, in artibus) idq; ita fieri oportere, & ratio docet & ſapientum autoritas. Ejusdem qvippe eſt ſcientiæ, & rem & qvæ rem comitantur, hoc eſt ſubjectum & affectiones proprias ſcrutari. Nam & Geometra de lineâ inæqvali & æqvali, logicus de legitimo & ſophiſtico Syllogiſmo, Arithmeticus de paritate & imparitate cæterisq;, qvæ accidere numeris ſolent, disſerit ex arte ſuâ. Ad eum modum qvi animalium ortum in veſtigant, nihil ignorare eorum debent, qvæ principia deturbare, naturæ motus disſolvere & integritatem posſunt lædere. *Hæc ille.* Ubinam verò locorum tractatio de Monſtris in Phyſicâ inſtitui posſit optimè ac debeat, qværi ſolet, num in generali, an verò in ſpeciali ejusdem parte? Ubi inficias non imus, doctrinam illam *jure* ad partem Phyſicæ ſpecialem ſpectare, cum in omnibus corporibus Monſtra

non dentur; Nec tamen dubitamus adeò aſſerere, *ratione doctrinæ* haud inconcinnè in generali ejusdem parte & qvidem hâc ipſâ ſede, ceu caſûs elegantisſimum exemplum, tradi & explicari poſſe. Qvod nos qvoq; dum in præſenti ſumus facturi, ſit Bono cum DEO

SECTIO PRIMA,

Hujusq;

Caput Primum,

Explicans

Definitionem Monſtri,

qvæ eſt

Monſtrum eſt Effectus naturalis cum inſigni aliqvâ deformitate à cauſâ deficiente & aberrante productus. Sic monſtra ſunt homo biceps, monoculus &c.

§. 1. Qvæſitum, An ſint monſtra, noſtras non fatiget mentes. Et pueri, & juvenes & ſenes monſtra aliqvot viſu, auditu, tactu omniq; ferè ſenſu notârunt. Neq; etiam ſaniorum Autorum aliud dat lectio. Qvot bicorpores, bicipites, ſeniboves, monoculi, alii pasſim memorantur & deſcribuntur? Non à fabularum ſaltem ſcriptoribus, ſed viris cordatis, qvorum amor vera narrare ac ſcrutari. Unde de Monſtris ſcripſere inter alios *Johannes Georgius Schenckius*, in opuſculo de monſtris, *Fortunius Licetus* in Monſtrorum hiſtoriâ, *Ulysſes Aldrovandus* in Monſtrorum hiſtoriâ, *Cunradus Lycoſthenes* in opere de Prodigiis, *Arnoldus Sorbinus*, de Monſtris, qvæ à temporibus Conſtantini ad ſua usq; tempora ortum habuerunt, *Martinus Weinrichius* Comment. de ortu Monſtrorum, *Laurentius Stempelius* in libro de Monſtro & Monſtroſis, *Caſparus Schottus* in Phyſ. curioſâ Lib. V. Mirabilibus Monſtrorum. Multa etiam de Monſtris habet Alcoranus Turcicus *Schweickeri* Norimbergici, *Cornelius Gemma* in

Coſmo-

Coſmocrit. *Laurentius Bayerlinck*, Theatro vitæ hum. ver. Monſtrum, alii.

§. 2. Definitum qvod attinet, *alii* vocem monſtri derivant à monſtrando atq; explicant in ſenſu activo, qvod monſtra qvaſi prædicant qvid & monſtrent; *alii* in ſenſu passivo, qvod ſc. digitis prætereuntium tanqvam res novæ & inſolitæ monſtrentur & oſtendantur. Unde *Fortunius Licetus*, cujus jam fecimus mentionem, *in tractat. pecul. de monſtris l. 1. c. 2.* hæc habet: Non igitur monſtra appellantur, qvia ſunt ſigna hominibus, ullo pacto monſtrantia res eventuras; ſed qvia vicisſim ejusmodi ſunt, qvæ ob ſui novitatem ac enormitatem, qvamprimum viſa, cum admiratione ac ſtupore ab unoqvoq; unicuiq; alteri monſtrantur. Ea enim eſt hominum conditio peculiaris inter cæteras, ut ſi qvis aliqvid inſigniter enorme conſpexerit, ſtatim cuivis obvio aut propinqvo illud mirabundus oſtendat, & abſente homine, cui illud monſtrare qveat, miris modis animo excrucietur, donec alterum inveniat, cui monſtrum commonſtret; adeò geſtit natura hominis, qvod rarum novit, alteri monſtrare; Alii verò monſtrum à monendo aut monito faciunt, qvod de irato DEO ejusq; voluntate & juſtitiâ nos admoneat. Qvibus de qvid ſentiendum, Grammatici atq; Etymologi videant ac judicent. Sumitur autem vox monſtri jam pro re inſolitâ qvavis. Sic monſtrum ſanationis dicimus, cum Eumelus Larisſæus contractas manus, crura & maxillas habens, ſupinus caderet & caput vehementer lapidi illideret, unde paulo poſt ſurgens ſanatus eſt & ſoluta omnia; jam pro incompoſito & inſigniter rudi, malo & vitioſo qvocunq;. Ita Catilina, Nero, alii, monſtra hominum appellantur; jam pro perfectione inſigni, abuſu potius qvàm uſu nominis. Sic monſtrum Oratoris dicimus Ciceronem, Monſtrum Mathematici Euclidem; Sic monſtrum mulieris dicimus inſignem mulierem, pulchram literatam ac doctam; jam etjam ut h. in l. pro corpore cum enormitate ac deformitate in lucem edito, qvalia monſtra ſunt monoculi, bicorpores &c. Vocantur alias τέρατα, prodigia, oſtenta, σημεῖα, ἁμαρτήματα τῆς φύσεως, errores

rores naturæ, paradoxa, phasmata, fætus monſtroſi, monſtroſa germina &c.

§. 3. Definitio ipſa conſtat *Genere* & *Differentiâ*. *Genus* deſumitur à materiali eſtq; hoc effectus naturalis. Vocabulum enim monſtri cum ſit concretum aliqvod, qvod ex Subjecto ſive materiali, & formâ denominante ſive Formali conflatum ſit, per materiale, qvod eſt opus naturæ ſeu corpus naturale, qvod hic effectum naturalem vocamus, definiri debet, qvia monſtra in ordine ad caſum conſideramus. Ergò ſicut caſum per cauſam definimus, Sic monſtrnm per effectum.

§ 4. *Differentiam* largiuntur *Formale* & *Efficiens*. *Formale* eſt inſignis deformitas, qvæ principaliter voce monſtri notatur, totaq; præſtat, ut monſtrum ſit monſtrum. Dicitur autem *inſignis*. Non enim levis aut aliqvalis ſaltem deformitas monſtrum facit, ſed notabilis & maxima. Non veniunt nomine monſtri, qvi vel cum maculis in facie vel verrucis & tuberibus in digitis, vel aliâ qvapiam membrorum craſſiori & corpulentiore compagine naſcuntur. Nec etiam omne qvod mancum & mutilum exiſtit in naturâ, monſtrum dicendum, caſu enim fieri poteſt, ut membra infantis cujusdam incuriâ muliercularum faſciis, vel ligaturâ malè detorqveantur, vel partibus luxatis ingrati tumores exiſtant, ingratumq; parentibus præbeant adſpectum. Vitium hoc eſt, non monſtrum. Natura enim tantùm peccat in formationis opere, abſoluto hoc feliciter, qvalicunq; qvis notetur labe, illum omni monſtrorum exemtum claſſe patitur. *Efficiens* cauſa deficiens & aberrans eſt. Omnia enim in univerſum monſtra à cauſis oriuntur deficientibus, aberrantibus, peccantibus. Dato enim effectu cum defectu, etiam cauſa non tàm efficiens, qvàm deficiens qværenda, ponenda. Notes inſuper velim, exceſſum etiam hic defectûs venire nomine. Omnis enim egreſſio à mediocritate ad extremum defectus eſt, ſive ad ſummum fiat ſive ad imum. Natura enim in anguſtias redacta aliqvid mavult, qvàm nihil producere, qvamvis deforme ac fædum. Unde rectiſſimè *B. Sperlingius in Inſtit. Phyſ. l.1. c.9. p.243.*

p.243. Datur in monſtris qvoddam naturæ opus, licet depravatum & perfectione naturali orbatum. Habetur naturæ actio, licet vitiata: Format virtus, licet pravè formet: Adeſt materia, licet vitioſa. Sic *Weinrichius c. 2. p. 14,* vocat cauſam monſtri morbum & ipſum vitium, qvod monſtroſum facit, hoc enim, inqvit, efficit, ut animal tale ſit animal, ſicut per viriditatem gramen viride eſt, & per diſtorſionem lignum diſtortum, Sic per monſtroſitatem homo monſtrum. Qvibus gemina habet. *Andreas Laurentius l. 8. anal. hiſt, qv. 13,* Depravatum conceptum plerumq; molitur natura potius, qvàm nullum, qvia æternitatis & ſpeciei propagandæ tàm avida eſt, tâmq; ſui diligens, ut aliqvid etiam imperfectum & naturæ noſtræ noxium creare malit, qvàm nihil.

§. 5. Qvemadmodum igitur Natura dicto modo deficiens Monſtra efficit; Ita defectus â variis cauſis & occaſionibus oriri poſſe certum eſt. Modo enim virtus agentis ſeu ex totius corporis ſeu partis alicujus principalis, epatis, vel teſtium affectu, paulò debilior eſt, unde homines generantur paucioribus membris, tribus vel duobus digitis, aut prorſus etiam ſine digitis & brachiis; Modô continentis tùm mediati, uteri, tùm immediati, ſecundinarum, vitium eſt. Matrix, qvàm nobilisſimam ac propemodum divinam favisſam *Scaliger* Ex. CXXXI. 4. nominat, in qvâ naturæ theſauri conditi, ut ubi fuerit opus, depromantur, cum vel frigidior juſto vel ſiccior eſt, aut in figuram fætui convenientem dilatare ſe non poteſt, non impedit conceptionem modò, ſed & genituram ipſam morbidam & corruptam facit. Ut nihil dicam de inordinatâ Parentum venere, nihil de ſuperfætatione, nihil de ſubitô terrore, de picâ, & cui potiores & plurimæ partes debentur, Phantaſiâ Matris vehementiori, cujus rei modi & exempla proſtant, eqvidem luculentisſima.

§. 6. Neq; hîc inſuper habenda ac omittenda eſt cauſa materialis, Semen, qvod cum in excesſu peccat, bicipites, tricipites, ſedigiti prodeunt; cum in defectu, mutili, curti, brachiis, pedibus, digitis carentes, naturâ ſc. in necesſitatis articulo magis ſolicitâ de principalium membrorum elaboratione, capi-

ne, capitis, cordis, epatis, qvàm minùs principalium. Sangvis item menſtruus, qvi cum ad nutritionem & augmentationem partium conducat, ſi non affluat modo debito, vitium parit. Hinc plauti naſcuntur, planci, valgi, ſuras nonnullas habentes, pallidi, macilenti &c.

Caput Secundum

tradens

Diviſionem Monſtrorum.

I. Dividuntur Monſtra vel ratione *ſubjecti*, qvod qvædam ſint *Plantarum*, qvædam *Animalium*; vel ratione *formæ*, qvod *qvædam* ſpeciem mutent, *qvædam* verò eandem ſervent.

II. *Qvæ ſpeciem mutant* ſunt, qvæ ab aliis effectis rectis & perfectis ſpecie differunt, ut mulus.

III. *Qvæ ſpeciem ſervant* ſunt, qvæ ab aliis effectis rectis & perfectis ſpecie qvidem non differunt, ſed tamen aliâ qvadam enormitate & deformitate ab iis diſcrepant, ut bicipites, monoculi &c.

IV. Hæc verò ſunt *vel* circa ſexum, *vel* circa conſtitutionem partium aliarum, ſexu illæſo.

V. Circa

V. Circa *ſexum*, ubi certæ ſpeciei individua vel ſunt ſexûs dubii vel ſexûs utriusq; ut Hermaphroditi.

VI. Circa *conſtitutionem* aliarum partium ſunt imprimis qvatuor modis 1. ratione numeri 2. ratione magnitudinis. 3. ratione uniutatis. 4. ratione conformitatis.

VII. *Ratione numeri vel* ſunt indefectu *vel* in exceſſu.

In defectu Monſtra ſunt, qvando pars qvædam abeſt, qvæ adeſſe debebat, ut cum naſcitur homo absq; brachiis, pedibus capite &c.

In exceſſu, qvando pars qvædam adeſt, qvæ abeſſe debebat, ut cum naſcitur homo capitibus duobus, qvatuor brachiis &c.

VIII. *Ratione Magnitudinis* itidem Monſtra *aliâ* ſunt in defectu, *alia* in exceſſu.

In defectu ſunt, qvando vel totum corpus enormiter à communi menſurâ recedit, vel qvædam pars à juſtâ magnitudine deficit, ut cenſent de Pygmæis, qvorum tota cohors altior non ſit pede uno; vel cum naſcitur homo curtorum brachiorum, pedum &c.

In exceſſu ſunt, qvando vel totum corpus plus juſto adaugetur, vel pars qvædam inſigniter excedit, ut cum naſcuntur gigantes, megalocephali &c.

IX. *Ratione unitatis* Monſtra ſunt, qvando partes vel continuitatem, vel contiguitatem debitam amittunt, ut cum naſcitur infans apertis nimium multumq; hiantibus labris.

X. *Ratione conformationis* iterum *alia* peccant in figura, *alia* in ſuperficie, *alia* in ſitu, alia aliter. Nunc enim naſcuntur infantes, qvorum oculi ſunt in mediâ fronte, nares in lateribus & aures in occipite: Nunc prodeunt alii, qvorum facies in tergo & manus annatæ ſcapulæ: Nunc ſeſe oſtendunt pueri qvadrupedum more habentes figuram pronam faciemq; caninam aut vulpinã &c.

§. 1. Varios varias asſignare monſtrorum differentias ac veluti ſpecies, prout cuiq; aut libitum eſt aut commodum, nemo eſt, opinor, qvi id contra experientiam negare audeat. Qvâ in re uti cuilibet ſuo abundare ſenſu permittimus; Ita operoſum valdè & periculoſum ducimus, rerum rectè ſe habentium cunctas dare differentias, operoſius vero longè & difficilius cunctas *ἁμαρτημάτων τῆς Φύσεως* ſpecies & differentias certis comprehendere claſſibus, cum infinitis modis aberrare contin-gat.

tingat. Nos dividimus primò Monſtra ratione ſubjecti, qvod qvædam ſint plantarum, qvædam animalium. Sicut enim à Subjecto Monſtrorum excludimus cùm corpora ſimplicia, qvippe qvæ materiâ generationis omni deſtituuntur, indeq; hæc nec abundare nec deficere poteſt, Illorum enim natura uniformis & ſimplex eſt; tùm miſta inanimata, corpora enim homogenea ſunt minimèq; apta nata ad partium deverſarum diſtorſionem, utut non negemus, hic ſæpius concretiones lapidum ac metallorum conſpici, qvæ tamen propriè monſtra dici neqveunt: Ita animata cumprimis Plantas ſc. & animalia asſumimus. In Plantis monſtra dari, nemo ibit inficias. Sæpisſimè enim concreta poma ac ceraſa, alia, ab arboribus pendere cernimus. Qvin imò humanæ machinationis audaciâ res eò devenit, ut una pyrus pro diſtinctis ramis diſtinctos ferat fructus, ab alio carpas pyra, ab alio decutias nuces, in alio videas poma, ab alio accipias ceraſa. Qvæ ipſa ſpecie diſtinctisſima unâ convenire in arbore, qvis non monſtroſum eſſe fætum exiſtimet? De qvâ fructuum varietate ab unâ arbore videatur pluribus *Johannes Baptiſta Porta,* & *Lipſius cent.*1. *Epiſt.8.* qvi elegantisſimè hac de re disſerit; Inſitiones mirabere & matrimonia; adulteria etiam & ſuppoſitos fætus in ſuâ matre nec invitâ. Hinc *Plinius l. XII. c.*1. Arborum etiam abortus invenimus, Et *Keckermann. l.V. ſyſt. Phyſ. c.3.* inqvit: Ut Plantæ vivunt, ita qvoq; habent vim formatricem & per conſeqvens habent virtutis formatricis degenerationem & aberrationem, adeoqve materiæ enormem defectum aut exceſſum. Neq; videtur, cur, qvando duo poma aut duæ nuces conveniant in unam, minus hoc ſit monſtrum, qvàm cum animal naſcitur duobus corporibus aut duobus capitibus. Ubi notetur, minus freqventer hæc in plantis accidere monſtra, tùm qvod ſemen ſtirpium durius ac ſiccius eſt, nec ita ſeqvax in mutationes varias; tùm qvod generatio ipſarum facilior & ad paucas actiones paucorum inſtrumentorum uſus reqviritur, tùm qvod ob ſoliditatem reſiſtere magis injuriis externis posſunt; tùm qvod ex unico ſaltem oriuntur principio & ſolitario. Hinc in Animalibus cumprimis monſtra uſitata eſſe ſta-

 tuimus.

tuimus. Ubi qvælibet ſpecies multis modis depravari & in monſtroſam faciem transmutari poteſt, qvæ hîc præcipuè animus eſt perpendere ita, qvatenus illorum qvædam ſpeciem ſuam planè mutant, qvædam eandem ſervant, in accidentibus tamen aliqvibus à rectâ conſtitutione diſcrepant.

§. 2. Monſtra qvæ ſpeciem mutant, ab aliis effectis rectis & perfectis ſpecie differre, probat mulus, cujus repertor in ſacris Ana deſcribitur, homo gentilis, Eſavita, qvi invenit Mulos in ſolitudine, cum paſceret Aſinas Zibeon Patris ſui Gen. XXXVI. 24. Iuvenit autem Ana Mulos non fortuito ſed per in duſtriam. Paſcenti enim Aſino cogitatio ſubiit de applicandâ eqvâ Aſino, exqvâ copula nova illa ſpecies in mundum prodiit, commentante hîc in margine Oſiandro ex Marbachio, maximè B. D. Polycarpo Lyſero, cujus verba hæc ſunt: Tradunt Ebræi illum Ana fuisſe Manzer ſine Spurium, ex illicito & inceſtuoſo coitu natum. Nimirum fuisſe illum filium fratris ſui Sebeonis, qvi dormiens cum matre genuerit filium ſimul & fratrem. Ut igitur ipſe illegitimus fuit, ita conatus eſt innaturâ producere animas præter naturam, ex commiſtione eqvi cum Aſinâ, cujus occaſionem habuerit in deſerto paſcens aſinas ſui Patris. Ipſe ergò mulus mutat ſpeciem, dum nec eqvus eſt, nec aſinus, ſed partim eqvus, partim aſinus. Ut talis ſit effectus, qvales cauſæ. Qvâ de re *B. Sperlingius in Inſtitut. ſuis Phyſic. l.1. c.IX. p.246.* elegantisſimè ſcribit: Cæca hominum audacia, naturæ pulchritudine non contenta, varia fingere conata eſt oblectamenta. Dederat natura aſinum, dederat eqvum. Diſplicebat in aſino tarditas, in eqvo generoſitas, in utroq; vitæ brevitas. Eqvum aſinæ miſcere non dubitavit humana curioſitas, ut tertium reſultaret, ab utriisq; vitiis, ut putabat, immune. Mulum ergò produxit, qvi nec tarditate aſininâ moleſtus, nec generoſitate eqvinâ impatiens, nec brevitate vitæ ingratus esſet. Nam & eqvo & aſino vivacior longè mulus, vitam ad annum prorogans octogeſimum. *Hæc ille.* Et monſtrorum horum, qvæ mutant ſpeciem, tanta datur copia, ut enumerandis illis pares non ſimus. Sic naſcitur ex eqvo & Aſinâ, hinnus: ex capra & ariete Mſmus: ex pardo & Leæ-

nâ

nâ, Leopardus: ex gallo & pavone, gallopavus: ex lupo & Pantherâ, Lycopantherus, qvibus de atq; aliis videri poteſt *Plinius part.1. hiſtor. animal. c.29. Weinrichius de Ortu Monſtrorum c.C.XV. ſeqq.* plures ſuprà laudati. Horret animus meminisſe, vel hominem ipſum animalium omnium principem, ſui omninò & legũ divinarum Lev. XII. 23. XX.15,16. immemorem, libidine flagitioſâ occæcatum penitus cum feris congredi non puduisſe, *Plinius* ex Plutarcho refert: Infantem natum ex eqvâ & homine habentem caput & collum & manus & ejulationes ſimiles hominibus, cætera verò omnia paria eqvis. *Weinrichius l.c.p.68.* ſcribit, Nicolaum Leonicenum, vidisſe qvendam, qvi naufragio in inſulam qvandam cum devenisſet, ubi magna Simiarum copia, unam, cujus amore captus esſet, imprægnasſe, editam autem filiam aut filium, qvi neq; hominis esſet neqve Simiæ, ſed mixta animantia & è diverſarum ſpecierum partibus confuſa. *Ælianus* narrat in Sybari adoleſcentem fuisſe, qvi cum caprini amoris flagraret libidine, formoſisſimam ſibi complexu Venereo junxisſe capram, ipſamq; in Amaſiæ loco habuisſe, donaq; ei dedisſe hederam ſc. & juncum, ut os illi ad oſculationem ſvaveolentius redderet, ipſiq; herbas molles & hederas ſubſtravisſe, ut mollius dormiret, qvod ut Hircus Dux gregis conſpexit, ſomno capto facto impetu cerebrum diminuit & ſcelus occidit. Suo tempore capra infantem dedit, caprina habentem crura & faciem humanam. O monſtroſisſimum effectum! ô ſcelus! ô facinus!

§.3. Monſtra, qvæ ſpeciem ſervant, ab aliis effectis rectis & perfectis ſpecie qvidem non differre, ſed tamen aliâ qvâdam enormitate & deformitate ab aliis diſcrepare, probant bicipites, Monoculi, alii, qvibus de ſingulis jamjam.

§.4. Monſtra verò hæc ipſa contingere *jam* circa ſexum; *jam* circa conſtitutionem partium aliarum ſexu illæſo, experientia teſtatur. *Illo modo*, qvando certæ ſpeciei individuum, vel eſt ſexûs dubii, vel ſexûs utriusq;. Sexûs dubii monſtrum eſt, ubi comparata ſunt membra genitalia, ut litigium oriatur, an mas ſit, an fœmina? Ubi pugnant, eqvidem acerrimè, nonulli phyſicorum, an fœminæ in mares, & mares in fœminas mutari

 posſint?

poſſint? *Plinius l. 8. c. 4. p. 294.* ait: Ex fœminis mutari mares non eſt fabuloſum. Invenimus in annalibus P. Licinio Craſſo C. Caſſio Longino COSS. Caſini puerum factum ex virgine ſub parentibus, jusſuq; Aruſpicum deportatum in inſulam deſertam. Licinius Mutianus prodiit, viſum à ſe Argis Aræſcontem, cui nomen Areſcuſæ fuiſſet, nupſiſſe etiam, mox barbam & virilitatem provenisſe uxoremq; duxisſe. Ejusdem ſortis & Smyrnæ puerum à ſe viſum. Ipſe in Africâ vidi mutatum in marem nuptiarum die L. Coſſicium civem Tisdritanum. Sic marem in fœminam transmutatum eſſe, comprobat *Keckermannus, l. V. Syſtem. Phyſ. c. 3. theor.* 11. ita ſcribens: Sunt anni circiter duodecim, qvando in Ungariâ miles qvidam, qvi ſe ante in caſtris Martis & Veneris virum oſtenderat, in caſtris Ungaricis evaſit fœmina & factus eſt Puerpera, invitato in Suſceptorem nati infantis Comite Mans feldio, Generali tum duce exercitûs Germanici, qvod publicis hiſtoriarum relationibus editum eſt & à multis comprobatum. Cujus hiſtoriæ mentionem qvoq; facit *Bartholinus in Problem. Phyſ. & Medic. Exerc. 1. prob. 2.* Verum uti negamus nos integrum & perfectum ſexum abire in ſexum; ita contra pronunciamus, ubi genitalium vitium, ibi nunc Maſculum, nunc fæmellam, nunc utrumq; cerni poſſe. Hinc exempla qvædam ad ſexum dubium, qvædam ad utrumq; ſpectant. Mentiuntur ſexum, cum vitia in genitalibus partibus ſunt. Occaſione verò datâ in apertas prorumpit flammas, qvi latitabat in ſilice ignis. In ſpecie verò qvæ de utroq; participant ſexu, Hermaphroditi vocantur. Narrat *Bartholinus, in hiſtoriis Anatomicis Cent. II.* iſta: Grandæva mulier Haffnienſis duobus viris robuſtis & habitu athletico nupta ſine prole vixit. Ipſa corpore procero & animo virili, nullam viva ambiguæ naturæ ſuſpicionem incurrit. Superiori anno 1652. debitum ſatis perſolvit. Dum pollinctores fœminæ cadaver ad ſepulturam lavant, deprehendunt utrumq; in corpore ſexum, naturamq; muliebrem in dextris, virilem in ſiniſtris. Qvibus verò modis Hermaphroditi inter mares æqvè atq; fœminas contingant, tradit accuratè *B. Sperlingius l. c. p. 250.*

§. 5. Hæc

§. 5. *Hoc modo* & qvidem ratione *Numeri* Monſtra, ceu adduximus, dantur in *defectu* & *exceſſu*. In *defectu* ſunt, qvando pars qvædam abeſt, qvæ adeſſe debebat. Sic occurrunt monſtra acephala. Tale, humanum qvidem, erat, cujus mentionem facit *Cteſias Gnidius* in Perſicis apud Pſotium in Bibliothecâ, referens, Roxanem Cambyſis Regis Perſarum uxorem peperiſſe puerum capite carentem, eumq; à Magis prodigii loco habitum, ut qvi ob defectum capitis, neminem ex familiâ illâ poſt Cambyſem regnaturum ſignificaret. Similia monſtra acephala humana Bononiæ viſa fuiſſe, teſtatur *Aldrovandus in Monſtrorum hiſtoriâ*. Sic exempla plura fætuum ſine manibus aut brachiis, pedibus, aliis, recenſet *Schottus l.c. Lib. V. c. VII.* qvem vide ſis. In *Exceſſu*, qvando pars qvædam adeſt, qvæ abeſſe debebat. Sic monſtra polycephala dantur. Hinc legimus Monſtra bicipita, tricipita, ſepticipita, horumq; icones depictas videre poſſumus, qvin & exempla fætuum cum brachiis ac pedibus multiplicatis, apud eundem *Schottum p. 568. 677.* Abhinc annis XX. Lazarus Colredo Genuenſis Liguri Wittebergam noſtram venit, homo ſtaturæ bonæ, faciei non indecoræ, deformitatiq; nulli obnoxius, qvem ipſi intuiti ſumus. Siniſtro latere annatus erat homuncio, qvem fratrem ſuum appellabat Johannes Baptiſta. Sic nati ſimul, ſic in utero formati & concreti fuerunt gemellorum in morem: Habebat Johannes caput, brachia, thoracem & pedem unum. Manus erant imperfectæ, trium digitorum, pes qvatuor. Caput cum pectore vergebat deorſum, ita ut reſupino vultu intueretur Lazarum. Muco præterea refertum erat, qvi & in nares profluebat. Oculi clauſi erant, ſemiſomnis, pedem movebat nonnunqvam. Latera minꝰ decenti coitu conjuncta ſed diducta qvadantenus, ut anteriores dentes conſpicerentur. Qvanqvam nullus dentium uſus, cum ore cibum non caperet, ſed è Lazaro traheret nutrimentum. Proprium cordis motum habebat & reſpirationem & reliqva facultatem vitalem attinentia. Sed nulla in ventriculo coctio, nulla in epate, aliqva in cæteris partibus.

§. 6. Ratione *Magnitudinis* itidem monſtra alia *in defectu*, alia *in exceſſu*. *In defectu*, qvando vel totum corpus enormiter

miter à communi menſurâ recedit, vel qvædam pars à juſtâ magnitudine deficit. Qvò referimus non fabuloſos illos pygmæos, qvorum tota cohors non altior pede uno deſcribitur, cumq; gruibus continuò ad paludes Ægypto ſuperiores certare perhibentur; ſed pumiliones illos ac nanos, qvi in principum aulis aluntur, qvorum ſtatura ad puelluli ſaltem longitudinem nati vel 7. vel 8. annos ſeſe extendit; ut & exempla fætuum cum brachiis pedibusq; curtis ac mutulatis &c. In *Exceſſu*, qvando vel totum corpus plus juſto adaugetur vel pars qvædam inſigniter excedit. Qvò referimus megalocephalos, ceu *Weinrichius* l. c. meminit puelli, cujus caput in utrumq; latus protuberans, duo virorum capita qvantitate exuperaverit. *Scaliger Exercit. CCLXIV.* refert: Qvanqvam hiſtoriæ maximam illorum (Gigantum) magnitudinem denis definiant palmis. Ego verò inqvit novenorum tot homines vidi, tot hodiè vivunt, ut de patre meo ejusq; fratribus qvatuor nihil habeam ſcribere. Ego cum qvinq; pedibus major ſim, ille me totâ facie ſuperabat; Non ergò digni ſunt Indi illi, qvos Gigantum titulo admiremur; ſed is, cujus oſſa in Corcyra effuſa anno ante hunc circiter ſeptuageſimo. Brachium enim totius cruris juſti longitudinem exæqvabat. Sed & poſt victoriam, qvam ſub Ludovico Rege ad laudem Pompejam vicimus, Mediolanum profecti, offendimus in publico Noſocomio juvenem unum tantæ proceritatis, ut ſtare non poſſet. Neq; enim potuerat à naturâ ſatis alimenti ad craſſitudinem roborisq; proportionem meditari. Itaq; jacebat explebatq; duos lectos ſimul junctos. Egregrium enim homuncionem! Hîc tamen notes velim, diſcrimen eſſe inter excellenté qvantitatis gradum & inter enormem qvantitatis exceſſum. Naturæ enim, qvæ maximè amans eſt latitudinis & ad certum punctum non ſemper reſtringitur, aliqva qvantitas ſine peccato interdum concedenda eſt. Hinc monſtrorum nomine illi non veniunt, qvi qvandoq; excellentiore qvantitate, qva Saul celebratur, apparent, vel etiam minori ſtaturâ incedunt, niſi in alterutrâ enormiter vel excedant vel deficiant.

§. 7. Ratione *Unitatis* Monſtra ſunt, qvando partes, vel conti-

continuitatem vel contiguitatem debitam amittunt. Sic Anno 1544. menſe Februario in Saxoniâ natus eſt infans, corpore quidem integro, ſed contuſis, laceratis atq; laxatis membris omnibus, excepto capite oblongo & velut Turcico pileo inſignito. Natus etiam eſt infans, teſte *Weinrichio l.2.p.71.* aperto hianteq; multum pectore ex eâ ipſâ parte, qvâ vulneratum maritum prægnans cum terrore & trepidatione ſummâ ſubitò aſpexerat.

§. 8. Tandem ratione *Conformationis* Monſtra alia peccant in figurâ, alia in ſuperficie, alia ſitu, alia aliter. Videas hîc pueros capite elephantino, infantes cornutos ore patulo, facie ranæ, bicorpores unico capite valdè monſtroſo, bicorpores infernè supernè ſimplices, & contra ſupernè bicorpores infernè ſimplices, bicorpores jam ſecundum latitudinem, jam ſecundũ longitudinem conjunctim, infantes duos juxta nates conglutinatos &c. Videas infantes brachio tranſpoſito, capite therſitico, biſfrontes, habentes oculos in mediâ fronte, nares in lateribus & aures in occipite. Videas infantes, qvorum facies à tergo & manus annatæ ſcapulis, pueros qvadrupedum more habentes figuram pronam &c. Qvibus de ſupra laudati Autores, cumprimis vero Weinrichius & Scottus ll. cc. videri poſſunt.

SECTIO SECUNDA
tradens
Conſectaria Monſtri,
qvorum
Primum
ita habet
Monſtrum mundum non reddit pulchriorem.

§. 1. *Conimbricenſes l.2. Phyſ. c.IX. q.5. & q.6. art.2.* multi ſunt & operoſi in obtinendâ illâ ſententiâ, Deum monſtra in mundo velle tùm ob alias cauſas, tùm etiam propter univerſi pulchritudinem, ut nimirum hoc ſpectabilis mundi theatrum, non elegantium duntaxat, ſed deformium qvoq; velut imaginũ varietate, exornetur. In cujus rei probationem adducunt *B. Auguſtinum l.XVI. c.8. de C.D.* & addunt tandem. Etenim ea etiam

ſiam, qvæ fœda ſunt ad univerſitatis decorem & elegantiam faciunt, eo modo, qvo gratiam lucis commendat obſcuritas noctis, & umbræ atriq; coloris picturæ augent venuſtatem, dum eminentiora qvæq; diſtingvunt, & differentia colorum alternâ vice ſeſe excitante oppoſita juxta ſe poſita clarius elucеſcunt. Sic eadem repetunt *l.1. de cœlo cap.I. qvæſt.1. art.VI.* Qvod monſtra attinet, ea non omninò pulchritudine carent, ſicuti nec eſſentiali deſtituuntur perfectione, ut conſtat ex iis, qvæ ſuperius docuimus. Deinde licet alienam ſuæ ſpeciei deformitatem habeant, facere tamen dicunt ad Univerſitatis elegantiam, qvatenus alia ex eorum collatione pulchriora apparent.

§. 2. Verum reſpondemus nos, qvod deforme in ſe eſt, neutiqvam ornare poſſe pulchrum, ſed deformare. Pulchritudinem qvod non habat, pulchritudinem alteri dare non poteſt. Non poteſt formaliter, nec poteſt virtualiter. Formaliter, qvia ſic pulchrum non niſi à pulchro, ſicut calidum à calido, frigidum à frigido. Virtualiter, qvia deformis virtus nunqvam ad pulchritudinem tendit, cum effectus cauſâ ſua nobilior eſſe neqveat. Si ad varietatem, qvæ delectat, fugiunt, non in re, ſed in ſenſu pulchrum qværunt. Oppoſita etiam juxta ſe poſita magis elucеſcunt ratione ſc. ſenſûs judicii. Præſtant enim oppoſita ſenſus noſtros in judicando ſaniores, non ac ſi oppoſitum alteri daret qvicqvam. Imperfectum perfectum non perficit, ſed perfectionem tollit. Umbræ lucem pulchriorem non reddunt, ſed nobis gratiorem. Hinc *Weinrichius* hiſce rem exponit: Qvis in monſtris ornatus? Qvis decor? Pulchritudo à perfectione ſeparari non poteſt, qvoniam ea ſola pulchra ſunt, qvæ perfecta. Omne autem imperfectum deforme. In monſtris autem multa imperfectio. Manet ergò qvod qvis non habet, alteri dare non poteſt.

Secundum.

Spectra, Incubi, homunculi ſubterranei, Fauni & Satyri, Nymphæ aqvaticæ, Tritones & Nereides non ſunt monſtra.

§. 1. Monſtrum diximus effectum naturalem cum inſigni deformitate à cauſâ deficiente & aberrante productum. Qvæ deſcri-

deſcriptio cum non competat Spectris aliisq;, monſtra illa non eſſe, manifeſtum eſt. In ſpecie verò qvod attinet *Spectra*, illa penitus è claſſe operum Naturæ excluſa ſunt, non ſunt inter Naturæ ἔργα, neq; inter ejusdem πάρεργα. Sunt ergò Satanæ ludibria, qvi ludit ita fallitq; homines, nunc ex elementis ſibi adornat corpus, nunc aſſtantium faſcinat oculos, ut nullo præſente corpore, corpus videre ſe putent.

§. 2. Incubi vel *præternaturales* vel *naturales* ſunt. *Illi* dantur, qvando Diabolus permittente DEO per incantationes Sagarum premit & amplectitur hominem: *Hi* ſunt affectus, qvibus correpti ſe à qvodam invadi, valdè opprimi & ſaltem non ſuffocari putant. Illa monſtra non eſſe patet è dictis de Spectris: Hos autem eximit è cenſu monſtrorum propria affectus ratio, qvod ſe non accidat hominibus ſtatim à nativitate, neq; ſemper, neq; etiam importet deformitatem externam.

§. 3. *Homunculorum ſubterraneorum*, qvos vocant, duo faciunt genera, alterum eorum, qvi aſpectu truculenti & infeſti ſunt. Qvibus de *Georgius Agricola* ita ſcribit: Talis fuit Annæbergius ille, qvi operarios duodecim amplius flatu interfecit in ſpecu, qvi corona roſacea appellatur. Flatum verò emittebat ex rictu. Eqvi enim ſpecie habentis procerum collum & truces oculos dicitur viſus. Cujusmodi etiam fuit Schnebergius nigro cucullo veſtitus, qvi in fodinâ Georgianâ operarium è ſolo ſublatum in ſuperiora maximæ illius concavitatis qvondam feracis argenti collocavit, non ſine corporis attritu; alterum illorum, qvi mites ſunt & Cobali vel Kobaldi vocantur, aliis etiam virunculi montani, qvia nani perhibentur tres dodrantes longi, nulla inferre damna, niſi maledicto aut cachinno laceſſiti, terras fodere, aqvas infundere, domum purgare, ligna & aqvas apportare, & in omni laborum genere impigros ſe præſtare, qvanqvam fallant ſpecie, & nihil agentes omnia agere præſumant. Qvo de utroq; genere, ut & de *Faunis & Satyris* idem eſto judicium, qvod de Spectris. Non enim hic natura agit, ſed Dæmon. Exulat utrobiq; monſtrorum ratio. Satanæ ſubſunt ſpectra & terriculamenta. Hic ad ſe rapere incautos tentat ludibriis ſuis, qvæ qvanti eventus ſeqvi ſoleant, experientia teſtis eſt.

§. 4. Tandem *Nymphas aqvaticas*, *Tritones* & *Nereides* qvod attinet, de iisdem extant ralationes variæ Autorum doctiſſimorum

rum. *Plinius l.9.c.5.* refert, Tritonem in qvodam ſpecu canentem auditum fuiſſe: Nereidem qvoq; ſpectatam, ejusq; morientis gannitum triſtem auditum; A viris etiam in Eqveſtri ordine ſplendentibus viſum fuiſſe hominem, toto corpore abſolutâ ſimilitudine, qvi navigia noctu aſcendere eaq; deprimere ac demergere tentârit. Idem refert qvoq; *Weinrichius l.c.p.59. ſeq.* & è fide dignisſimis viris rem comprobare ſatagit, qvos adductos ibidem ut & à *B. Sperlingio in Inſtitut. ſuis p.261.* hujus de totâ re judicium, qvando ita ſcribit: Nos mala miſta bonis agnoſcimus. Certant fermè de Incolarum numero & ſpecie mare ac terra. Non minus enim maria qvàm terræ ſuos nutriunt urſos, canes, apros, lepores, vulpes, lupos, aſellos, eqvos, vitulos & leones. Qvæ monſtra non dixerim, qvamvis à terreſtribus non parum diſtent. Suis enim gaudet indigenis terra, ſuis aqva. Interim multa qvoq; esſe marina monſtra, eorumq; nonnulla tàm fuiſſe horrenda, ut deformitate ſuperarent terrena, obſervatum hiſtoriis certisſimis. Tritones verò, Nereides & cæteræ mulieres aqvaticæ ad ripas minorum qvoq; fluminum viſæ, nec naturæ ἔργα, nec πάρεργα ſed Satanæ ſpectra & terriculamenta ſunt. Hic ille mille artifex eſt, humanum ſitiens ſangvinem, retiaq; ſubdola tendens ineuntis. Id qvod eventus ſæpisſimè comprobavit, tragiciq; exitus credulam etiam plebeculam fecere cautiorem.

Tertium.

E commiſtione hominis cum bruto non generatur verus homo.

Dubii hac in re ſunt *Conimbricenſes l.2.c.9.q.5. art.3.* & qvæſitum utrum fieri posſit, ut ex humana & beluina ſpecie homines naſcantur, jam negant, jam affirmant. Veruntamen qvæſiti negativa evidens eſt. Una enim Socia & partialis cauſa effectum producere neqvit. Ob id enim ſocia, partialis eſt, qvia ſola ſufficiens non eſt ad corpus producendum, ſed alterius ſimilis operam & concurſum reqvirit. Homo ergò & brutum hominẽ verũ progenerare neqveunt. Neq; forſan brutum ſociæ cauſæ locum ſupplet, cum ſpecie differat ab homine & concurrat qvidem ad actum generationis, ſed non ad hominis productionem. Aliud ceu rectè *B. Sperlingius ſcribit* generatio, aliud talis generatio eſt. Hinc & ad exempla, qvotqvot proferuntur, ſolida eſt reſponſio, effectus eſſe monſtroſos. Monſtroſa generatio monſtroſum infert genitum. Nec eſt, qvod ajant naturas completas ſic in unam ſpeciem coaleſcere. Non enim ex naturis, ſed à naturis duabus hîc producitur fœtus. Non etiam è cauſis totalibus ſed à ſociis & partialibus editur unus hîc effectus.